Lane Medical Library

# DE
# CORPORIBUS ALIENIS
# IN VESICA URINARIA REPERTIS.

---

## DISSERTATIO
## INAUGURALIS CHIRURGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI

MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITERARUM UNIVERSITATE
GRYPHISWALDENSI

UT SUMMI

IN MEDICINA,
CHIRURGIA, ARTE OBSTETRICIA

**HONORES**

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE XI. MENSIS AUGUSTI ANNI MDCCCLXIII

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

**JOANNES KLEFEKER,**

HAMBURGENSIS.

---

OPPONENTIBUS:

**AE. KIELBASSA,** DR. MED. PRACT.
**AE. WIEDEMANN,** DRD. MED.
**O. WILCKE,** DRD. MED.

---

GRYPHISWALDIAE,
TYPIS FRID. GUIL. KUNIKE, REG. ACAD. TYPOGR.

NLM Medical Library

PATRI

OPTIMO CARISSIMO

NEC NON

FRANCISCO

FRATRI DILECTISSIMO, MEDICO DOCTISSIMO

HASCE

# STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

Si corpora aliena tractantem chirurgiae partem perlustramus, in vesica urinaria reperta et difficilis remotionis et commutationum causa, quibus diutius remanentia subjecta sunt, animos nostros magnopere in se convertunt. Nam quum res diversi generis aut naribus aut ori aut auribus aut nescio cui orificio immissae fere solum mechanica ratione noxiam, interdum e vestigio letalem — pro exemplo afferam tracheam nummo vel faba praeclusam — habeant vim ac saepissime incruenta aut minus impedita ratione evelli possint, corpora in vesicam urinariam progressa et absconditi ipsius organi et angusti egestus causa nunquam sine summa difficultate removeri possunt. Itaque haud raro diutius remanentia incrustationibusque increscentia et difficultatem extrahendi augent et novi morbi, lithiasis, causam afferunt.

Quibus causis non inepte mihi quidem fieri videtur, ut hoc in libello casus non nullos ad illud genus pertinentes summaque contemplatione dignos

per decem annos in regio clinico chirurgico Berolinensi, viro illustrissimo B. Langenbeck directore — cujus ammanuensem per sex menses me fuisse gaudeo — observatos afferam, quorum alios ipse vidi, aliorum historiam ex ephemeridibus hausi. Sed priusquam huc transeo, paucis de toto in vesica urinaria repertorum corporum genere dicenda mihi videntur, quamobrem incipio ab

## Aethiologia.

Praeter calculos in vesica ipsa formatos, de quibus hoc loco tacendum nobis est, corpora aliena fere per urethram, viam natura datam, in vesicam procedunt. Quorum importatorum causam nobis considerantibus differenda sunt duo genera, alterum eorum, quae therapeuticam ob rationem introducta, adversoque casu aut diffracta aut manibus medici elapsa, alterum autem eorum, quae ab infantibus vel ab hominibus stultis ludendi causa externo urethrae orificio infixae, indeque, ut fieri solet, in vesicam perlapsa sunt. In primo quidem genere catheteres cereaque esse, facile intelligitur, quae praecipue priori tempore saepe ex resina Guttapercha formata, fragilitate haud raro casus tales effecerunt, eaque causa nunc fere ubique ex medicorum usu repulsi sunt. Eventa talia litteratura periodica medica copiose affert, de quibus comparanda sunt:

Ivanvich, Wiener medicin. Wochenschrift 1851, No. 30 und 32.

Niese, Deutsche Klinik, 1853, No. 21.

C. Weikert, ibidem, No. 22.

T. J. Walker, Lancet, Febr. 18, No. IX., Vol. I. 1863.

Itemque in instituti regii chirurgici Berol. museo pathologico-anatomico talis catheteris finis incrustatus invenitur, qui sectione laterali ab Ill. B. Langenbeck ex viri circa LXX annos nati vesica eductus est. Etiam ipse casum talem observavi, qui scribendo huic libello operam mihi danti se obtulit. Vir fere XXX annos natus ischuria subita affectus est. Cujus causam medicus stricturam esse arbitratus ad dilatandam eam catheterem e Guttapercha confectum in urethram introduxit tanta vi, ut falsa inter partem membranaceam et prostaticam via facta, catheter primum recurvaretur, postremo refringeretur. Quam ob rem aegrotus auxilium instituti reg. chirurg. Berol. petiit summoque tantum studio contigit, ut forcipe Hunteri fragmentum emoveretur.

Verum tamen non reliquiae solum, sed etiam tota cerea et catheteres, deficiente in fini inferiori malleolo, in vesicam lapsi sunt, de quibus infra non nulla mihi erunt commenmoranda.

In rebus ludendi causa inductis sunt acus, thecae acubus servandis, stili cerussati, alia corpora cylindrata, de quibus accuratius in parte statistica disseram, cum a viris tum a feminis fini obtuso urethrae infixa et in vesicam prolapsa. Quod apud mulieres facilius fieri posse itemque saepius obser-

vatum esse, partim ex brevitate et amplitudine urethrae femineae, partim ex mulierum ad libidinem explendam corporum in vaginam inducendorum aviditate explicandum est. Praecipue igitur in vesica urinaria reperiuntur res maxime mulierum usui necessariae, quales sunt acus crinales, quorum commemoratione litteratura anglica medica est ditissima[1]).

Idem etiam a viris fieri posse, testimonio est casus ille celebritatem quandam adeptus, in quo Dieffenbach sectione alta removit stilum metallicum, manibus onanistae elapsum et paullatim extrahendi conatibus in vesesicam pressum[2]).

Multo rarius corpora aliena alia via quam per urethram in vesicam perveniunt, et pilis plumbeis, directe extrinsecus penetrantibus exceptis, casus tales vagina tantum perforata, id est aut fistula vesico-vaginali formata aut curatione ejus tentata, observati sunt. Quo modo pessaria in primis ad retinendum uterum prolapsum in vaginam introducta, ibique remissa, anteriore vaginae pariete paulatim gangraenata in vesicam penetraverunt[3]).

---

1) Cf. C. Hawskins, Lancet, vol. I., 1853, p. 494. Fergusson, Lancet, vol. I., 1854, p. 662. Hilton, Lancet, vol. I., 1863, No. IX.

2) Cf. W. Busch, chirurgische Beobachtungen, Berlin, 1854, p. 155.

3) Cf. Uytterhoven, Journal de med. chirurg. de Bruxelles, 1854, Juin. Denucé, Journal de Bordeaux, 1851, Août.

## Decursus, Symptomata, Diagnosis.

Phaenomena, quae corpus alienum in vesicam progressum provocat, primum sunt vehemens ejus catarrhus, quem mox, corporibus diutius remanentibus, sequitur gravissima commutatio, incrustatio eorum, ex calcarea carbonica et phosphorica composita. Sunt igitur symptomata subjectiva, ut facile intelligitur, illis calculorum in ipsa vesica formatorum simillima, neque differunt, nisi quod in lithiasi molestiae paullatim oriuntur, corpora aliena statim summum gradum efficiunt. Inter signa igitur subjectiva commemorandi sunt imprimis dolores, saepe, prout corpora aliena aut acuta aut obtusa sunt, majores; variis motibus aut comminuti aut aucti, (diversi enim sensibilitates vesicae urinariae partes) neque raro magis genitalibus externis, praecipue coronae glandis, quam vesicae ipsi insidentes. Deinde vesicae exoneratio aut subito aut paullatim, aut omnino aut minime prohiberi potest. Saepe liber initio urinae radius corpore alieno objecto, subito inhibetur, eodemque modo incontinentiae urinae effici potest, prohibente illo, ne musculus sphincter vesicae perfecte contrahatur. Semper vero aegroto eximiam ob stranguriam saepissime est mingendum. Urina ipsa vehementis vesicae catarrhi qualitatem ostendit; nubila est, haud paullo post dejectionem subsidit in illa sedimentum pituitosum non exiguum; interdum secundum mechanicam corporum alienorum qualitatem, et sanguis admixtus, et fragmenta

illorum reperiuntur. Quum perraro etiam corporibus alienis cystitis vera efficitur, tum nonnunquam corpora minora sine ulla operatione impetu urinae removentur. Denique in desidendo interdum dolores et molestiae oriuntur; praecipue corpore alieno in fundo vesicae sito, tenesmus haud exiguus exsistit.

Quum igitur ex symptomatibus subjectivis statui non possit, utrum corpus alienum an calculus vesicae insit, objectiva aegroti inspectio plura cognitionis momenta praebet. Nam interdum non solum fit, ut res acutae, quales sunt acus cet., per alvi integumenta sentiantur, sed etiam inquisitio interna, quae calculorum specillo fit neque unquam, symptomatibus subjectivis ortis, omittenda est, idoneam formae et qualitatis corporum alienorum scientiam suppeditat, nisi forte perdiu in vesica remanentia, crassiore incrustatione sunt obtecta. Praeter communia chalybaea calculorum specilla in talibus inquisitionibus instrumento quoque illo, quod percuteur d'Heurteloup appellatur, utendum est. Eodem tempore facta per anum quoque inquisitione maximam utilitatem afferri posse, non explicandum esse mihi videtur.

Omnium autem diagnosin differentialis momentorum gravissimum est anamnesis, quare maxima cum diligentia est indaganda; neque desistendum est ab quaestionibus quibusvis, priusquam, superatis malitia et pudore falso, quibus commoti quidquam in urethram infixum esse aegroti negant, ad therapiam rectam adhibendam omnis veritas cognoscatur.

## Prognosis et Therapia.

Ut diagnosis ita prognosis quoque multis momentis calculorum illius est similis neque melior est nisi, quod, corporibus alienis remotis, morbus ipse prorsus depulsus est, lithiasis autem saepissime, calculis extractis, redit. Quod ad facilitatem corporum alienorum removendorum attinet, prognosis variis casibus est varia, omnino hoc tantum constat, apud mulieres majorem ob urethrae et amplitudinem et brevitatem extractionem multo faciliorem, prognosin igitur meliorem, quam apud viros esse.

Itaque therapiae, ut jam antea non nullis locis significatum est, inflammatione superata, corporum alienorum remotio tentanda est. Quem ad finem nec medicamentis, nec injectionibus non nunquam adhibitis, quidquam effici posse, facile intelligitur; nam rarissime fit, ut corpora aliena aut remediis chemicis resolvantur, aut injectae aquae vi frientur. Restat igitur corporum alienorum amotio mechanica, aut incruenta, aut cruenta. Primum vero prophylactico modo cavendum est, ne res urethrae infixae neque jam in vesicam progressae, aut inquisitione aut actione therapeutica ulla, illuc protrudantur. Itaque perscrutationes tales specillo calculorum aut aliis instrumentis cautissime sunt efficiendae, donec corporis alieni sedes ignota est. Quam in urethra esse cognito, id agendum est, ut quam primum corpus alienum emoveatur. Ad hunc finem praeter longas forcipes adhibenda sunt instrumenta

nonnulla singularia, quorum gravissimum et utilissimum est Halesii, falso Hunteri nominata forceps. Similia sunt instrumenta inventa ab Amussat, Civiale, Dieffenbach, Leroy d'Étiolles (curette articulée), alia, quorum descriptionem haud ignotam esse arbitramur. Difficultates autem in extrahendo saepius praebent acus, quae, obtuso fine infixae, tum acumine in telam mucosam urethrae mollesque circumjacentes partes impressae, per urethram removeri non possunt, sed aut effodiendae aut excidendae sunt. Nam rarissime fit, ut acus oculo catheteris insidat talique modo educatur, cujus eventi testis fuit Vidal[4]).

Corporibus alienis in vesicam jam progressis similiter est agendum. Quem ad finem praeter jam commemorata instrumenta compluria descripta sunt, inter quae ad extrahenda catheterum fragmenta a Luër compositum excellit. Halesii forcipis simile ita tantum mutatum est, ut ex tubo prominentes forcipis fines ita sint sinuati, ut axis longitudinalis corporis ullius cylindrati, crassitudine catheteris communis, forcipe clausa accurate in instrumenti axem longitudinalem ponatur, talique modo per urethram removeatur. Acubus extrahendis tubus catheteris similis prodest, ex quo eminet hamulus. Namque acus hamulo comprehensa sequi cogitur; acus flexibiles, duplicatae aut in tubulum coarctantur aut

---

4) cf. Bardeleben, Lehrbuch der Chirurgie. Berlin 1862, Vol. IV, p. 29.

ita figuntur, ut mox alia ratione extrahantur [5]). Minus usu probata est propositio nonnullorum, ut instrumenta vi magnetica imbuantur ad extrahendas ferreas aut chalybaeas acus, quas diutius in vesica remanentes celerrime incrustari haud ignotum est.

Lithotripsia, omnium ad emovendos in vesica ipsa formatos calculos operationum utilissima, corporibus alienis non multum prodest neque alias est adhibita, nisi ubi anamnesi non satis constitutum fuerit, utrum corpus alienum an calculus vesicae insideret. Hoc in casu autem non nunquam eam succedere, testimonio est acus in Ill. B. Langenbeck collectione, quae haud comperta via in vesicam quadrimulae progressa ibique perfecte incrustata, occasionem diagnosis calculi praebuit. Quam ob rem lithotripsia effecta incrustationes carptae sunt, extracto autem instrumento in oculo ejus stupendum in modum acus inhaesit.

Restat igitur, postquam ceteris rationibus nihil effectum est, cruenta tantum remotio.

Via minime periculosa fieri hoc potest, ingressis acubus, quae instrumento in vesicam introducto prehensae ad anteriorem supra symphysin situm vesicae parietem apprimuntur. Tum incisione directe versus corpus alienum facta, minimo vulnere extraperitoneali extractio conficitur. Quo modo jam Proby [6]) a. MDCLXXXIII Dublini, nuper Dief-

5) cf. Courty, Archiv général de Medec. Febr. 1851. Canstatt, Jahresbericht, 1851, Vol. IV, p. 29.

6) cf. Bardeleben, alio loco.

fenbach egit. Fundo vesicae insidentes acus per perineum effodi possunt. Attamen in aliis corporibus alienis eaedem lithotomiae indicationes atque in calculis ipsis valent; in viris igitur aut sectio alta aut sectio lateralis, interdum, quum festucae sunt extrahendae, etiam urethrotomia — sicut in morborum historiis demonstrabitur, — in mulieribus cruenta urethrae et colli vesicae dilatatio efficiendae sunt.

## Statistica.

Jam ad finem theoreticae hujus libelli partis progressi statisticam corporum alienorum, a Denucé[7]) compositam tradimus.

Fuerunt casus CCCLXXXXI, in quibus LXXXII acus, LXXVIII aut catheterum aut instrumentorum lithotripticorum fragmenta, XV pilae plumbeae, XV acuum thecae, LXXXI bacilla lignea, qualia sunt hostoria, stili cerussati cet., X fistulae fumisugii extremae, X silices cet. In casibus CCLVIII corpora aliena voluntate introducta sunt, centies undevicies a mulieribus, tricies sexies a viris; quadragies ter genus constitui non potuit. Sexies vesicae inflammatione, gangraena, phlebitide, abscessibus mors consecuta est; tricies sexies sponte emotum est corpus.

---

7) cf. Emmert, Lehrbuch der Chirurgie.

## Historiae morborum.

Jam ut ad morbum historias transeamus, sex mihi accuratiore descriptione dignae videntur, quas hic enarrabimus.

I. Primus casus fuit viri, LXIV annos nati[8]) qui fere abhinc sex annos propter urethrae strictu-ram, medici consilium secutus, fila plumbea in ure-thram introducebat. Refracto quondam filo plum-beo fragmentum haud exiguum remansit. Urethro-tomia a Dieffenbach tentata, corpus alienum non solum non remotum, sed etiam in vesicam im-pressum est. Qua re symptomata effecta initio, vulnere simul sanato, catarrhalia tantum fuerunt. Deinde in mingendo, quo minima, pure et sanguine commixta urina ejiciebatur, molestiae cum perpetuo megendi impetu conjunctae tantopere auctae sunt, ut aegrotus institutum reg. chirurg. Berol. rursus peteret. Cathetere mediae crassitudinis introducto, in posteriori urethrae parte strictura inventa est, quae haud sine labore superari potuit. In vesica satis spatiosa corpus alienum, planum neque incru-statum, inventum est. Quam minus fortem opara-tionem et lithoclasteris inducendi conatus quum vehe-mentissimi dolores comitarentur, et summa usque ad urethram transgrediens inflammatio consequere-tur, ad sectionem lateralem descensum est. Inci-sione in sinistra raphae latere facta, tum posteriore

8) W. Busch, chirurg. Beobachtungen. Berlin 1854, p. 154.

parte membranacea patefacta, deinde posteriore parte prostatica scalpello malleolato persecta, extractio corporis alieni, digito statim inducto, effecta est. Concrementa non sunt animadversa. Vulneri panniculus oleo madefactus injectus est; tum cataplasmata frigida parata sunt; quum catheter ob nimiam urethrae irritabilitatem permanere non posset, urina primis diebus per vulnus defluxit. Fortior reactio non evenit; vulnus e contrario tam bene est sanatum, ut aegrotus post quinque hebdomades demitteretur.

II. Haud minori studio dignum est casus alter. Carolus Erxleben, Lissae valetudinarii militaris administer, die X mens. octobr. a. MDCCCLIV exercitandi causa catheterem elasticum, crassitudine pennae anserinae, urethrae suae infixit. Cujus rei irritatio fuit tanta, ut aegrotum, semine simul ejecto, animus relinqueret. Expergefactus catheterem non vidit, qui in vesicam prolapsus erat. Symptomata initio exigua fuerunt, quam ob rem aegrotus per biduum etiam munere suo functus est; mox ita aucta sunt, ut praeter febrem haud parvam dolores vehementissimi, cum exoneratione vesicae increscentes, exorirentur. Urina fuit cruenta, pure et pituita commixta. Quam ob rem, quum cereis urethra propter nimiam irritabilitatem dilatari non posset, die XVIII mens. nov. sectio lateralis tentata, sed propter crassius vesicae collum et propter difficilem specilli introductionem perfecta non est. Reactio hanc operationem secuta vehementior non fuisse, inflamma-

tio vero permansisse dicitur; quam ob rem catheter introduci non potuit; vulnus igitur, per quod urina defluebat, patuit. Simul cum urina saepe fragmenta incrustata indumenti catheteris nonnulla ejecta, ceterum usque ad mens. januarium, quo tempore Posnanium transportatus est, nihil commutatum esse, aegrotus enarravit. Ibi initio vehementia alvi profluvia exorta sunt, tum tonica ratione valetudo aegroti melior facta et vulnus usque ad parvam fistulam, ex qua urina perpetuo defluebat clausum est. Die II mens. maj. aegrotus in instituto reg. chirurg. Berol. receptus est. Medicus inquirens in parte membranacea impedimentum invenit, quod quin srictura ex anteriori operatione remanens esset, dubitari non potuit. Quo superato catheter in vesicam pervenit, ubi ad quaevis latera torqueri non potuit; praesertim motus ad sinistrum latus vergentes prohibebantur, qua in parte etiam per anum massa majoris resistentiae sensa est. Crepitatio non est animadversa; catheteris fenestris exiguus sanguis inhaesit, item post inquisitionem nonullae sanguinis guttae et per urethram et per fistulam defluxerunt. Usque ad diem VIII mens. jun. antiphlogosis mitis est adhibita. Inquisitione eodem die repetita, corpus alienum in sinistra vesicae parte situm esse, constitutum est. Quam ob rem consueto modo sectio lateratis effecta est, quo facto catheter, incrustationibus obtectus multifariamque implicatus, sine ulla difficultate extractus est. Consecuta diligenti curatione aegrotus

primo jam post operationem die eximiam dolorum deminutionem sensit. Dies sequentes minus bene elapsi sunt, nam et arteriosi sanguinis profluvia, quae injecto liquore ferri sesquichlorati sedata sunt, et valetudo diarrhoeis colicisque molestiis debilitata est. Mox tamen aegrotus ita convaluit, ut die VII mens. august demitteretur.

III. Pejorem habuit exitum postremus corporum alienorum in vesica mascula casus. Fridericus Zock, agricola corpore robusto, XL annos natus, quatuordecim abhinc annos gonorrhoea longinqua affectus fuit, quae stricturam in posteriori urethrae parte reliquit. Quare quum jam antea aegrotus vehementes in mingendo molestias passus esset, quodam auctumni praeteriti die, in agro operans, tanto mejendi impetu prehensus est, ut desperans festucam ac pedem longam dilatandi causa in urethram induceret. Manibus elapsa in vesicam progressr est, ubi primum quidem exiguas tantum molestias effecit. Post duas autem hebdomades dolores leves in vesica et secundum urethram sensi sunt, qui summa ischuria comitante, mox ita sunt aucti, ut aegrotus instituti reg. chirurg. Berol. auxilium peteret. Inquisitione per catheterem effecta in urethra strictura haud exigua inventa est; in posteriori parte parva nonnulla concrementa offensa sunt, in vesica ipsa evidentissime corpus alienum sensum est. Propter urethram praecipue in orificio externo angustissimam a lithotripsia desistendum fuit, quare die XXIII mens. januar. pars membranacea scalpello

patefacta est. Incisura aliquantulum in partem prostaticam promota, instrumento illo, in extrahendis calculis utilissimo, quod Ill. B. Langenbeck ad emovendas pilas plumbeas descripsit, corpus alienum, festuca pedem longa, pleneque incrustata e vestigio prehensum et extractum est. Haud parvum sanguinis profluvium ex arteria transversa perinei, ligatura suppressum est. Quo facto curatio posterior solito more effecta est. Mox autem frigora quassantia intercesserunt jamque die XXVIII mens. januar. aegrotus, symptomatibus pyaemiae exortis, mortuus est. Sectio cadaveris diagnosin confirmavit, nam et glandula prostatica et ipsius vesicae parietes pure infiltrati fuerunt.

Transeamus nunc ad casus corporum alienorum in vesica feminea repertorum.

IV. Marita Giese, XXX annos nata, duos annos nupta, postquam onus ponderosum sustulit, foetum quinque mensium abortu peperit. Primos dies post valuit, tum ischuria exorta est. Quare quum advocatus medicus urinam, cavo specillo ferreo in urethram introducto, emittere tentaret, instrumentum manus ejus effugit et in vesicam prolapsum est. Primi extractiones conatus successu caruerunt; molestiae in mingendo animadversae non sunt, sed semper aegrota dolores leves in hypogastrio sinistro, post vesicae exonerationem valde auctos sensit. Die VII mens. mart. a MDCCCLVIII in institutum reg. chirurg. Berol. transportata est, ubi facillime, cathetere argenteo in vesicam inducto, corpus

alienum sentiri potuit. Die VIII. ej. mens. orificio externo urethrae compluribus incisuris peripheriicis dilatato atque lithoclastere in vesicam inducto corpus alienum prehensum et compressum; tractationes autem secutum non est, sed inter lithoclasteris motus tam perspicue in sinistra regione hypogastrica sensum est, ut perforatum eo parietem vesicae esse appareret. Quare magis etiam orificio dilatato forcipe polyporum corpus alienum extrahi tentatum est. Sed tam firme inclusum fuit, ut tum demum, quum aptior aegrotae positio effecta esset, solutum sine difficultate extraheretur. Corpus alienum fuit specillum cavum ferreum, quale in quavis medicorum theca invenitur, soleae ferreae ad instar incurvatum; concrementa visa non sunt. Quo facto valetudo aegrotae ita confirmata est, ut die V. mens. maj. demitteretur.

Quintus et sextus casus non sejungendi sunt.

V. Bertha Polaczkowa, XXXVIII annos nata, die I mens. decembr. anni MDCCCLX ob fistulam vesico-vaginalem scalpello secta est, qua in operatione suturae ferreae adhibitae sunt. Die XXX. mens. octobr. a. MDCCCLXI aegrota in institutum reversa, vehemente mingendi molestias et dolores in vesica insidentes conquesta est. Postquam inquisitione per catheterem corpus alienum in vesica inesse constitutum est, contigit ut die IX. mens. maj. a. MDCCCLXIII lithotripsia calculus emoveretur, cujus nucleus, mirum dictu, sutura ferrea fuit.

VI. Idem Henriettae Schlenz, cauponae

XXXIV annos natae accidit, quae item, fistula vesico-vaginali antea sanata, anno MDCCCLXI in institutum chirurgic. Berol. redux fuit. Constitutum est inquisitione interna, calculum vesicae exsistere, cujus, lithotripsia repetita, nucleum suturam ferream remissam esse inventum est.

# VITA.

Natus ego sum, Joannes Klefeker, Hammoniae die II mens. Januar. a. MDCCCXLI, evangelicae fidei addictus, patre Francisco, matre e gente ab Hannffstengel. Patre adhuc salvo gaudeo; matrem jam dira mors decem abhinc annis mihi eripuit. Tres annos natus cum parentibus Hammoniam reliqui, et interjecto unius anni spatio, quo tempore Stadae, Hannoverano oppido versatus sum, Berolinum transmigravi. Ibi primis literarum elementis in ludo literario, gymnasio regio Friderico-Guilelmiano adjuncto imbutus, a. h. s. L gymnasio ipsi in disciplinam traditus sum. Testimonium maturitatis adeptus auctumno a. h. s. LIX Gottingam petii et ab Ill. Dorner, t. t. fasces academicos tenente in civium almae Georgiae Augustae universitatis numerum receptus sum. Ubi tria semestria versatus Berolinum reversus sum et ab Ill. Twesten t. t. rectore magnifico in album universitatis inscriptus, apud Ill. Casper t. t. decanum nomen rite professus sum. Semestri uno superato Gryphiam profectus sum et ab Ill. Baumstark civibus universitatis adscriptus, nomen apud Ill. Budge professus sum. Per annum hic versatus Berolinum redux in civium academicorum numerum receptus sum ab rectore Ill. Beseler, apud Ill. Mitscherlich nomen professus sum. Postremo vere hujus anni huc reversus ab Ill. Vogt, rectore magnifico in album universitatis inscriptus, apud Ill. Bardeleben nomen professus sum.

Per octo semestria disserentes audivi

Ill. Wöhler: de chemia.

Ill. Henle: de anatomia speciali, de anatomia generali, de anatomia topographica.

Ill. Weber: de physice.

Ill. Lotze: de psychologia.

Exp. Teichmann: de osteologia.

Ill. Conradi: de introductione in medicum studium.

Ill. Wagner: de zoologia et anthropologia, de historia generationis et evolutionis.

Ill. Grisebach: de botanice.

Ill. Meissner: de physiologia experimentali.

Ill. Ritter: de logice et metaphysice.

Ill. Sartorius de Waltershausen: de mineralogia.

Exp. de Stein: de Spinoza.

Ill. Mitscherlich: de materia medica, de medicamentis excitantibus.

Ill. Reichert: de anatomia comparata, de historia generationis.

Ill. Virchow: de anatomia pathologica.

Ill. Du Bois-Reymond: de diffusionis doctrina.

Ill. Bardeleben: de chirurgia universali et speciali, de akiurgia, de herniis.

Ill. Rühle: de pathologia et therapia speciali, de nervorum morbis, de psychiatria.

Ill. Pernice: de arte obstetricia, de neonatorum, de mulierum morbis.

Ill. Haeser: de pathologia universali, de morbis epidemicis.

Ill. Ziemssen: de syphilidologia, de morbis exanthematicis acutis.

Exp. Heineke: de morbis extremitatum.

Exp. Schirmer: de ophthalmologia.

Exp. Bengelsdorff: de arte rite formulas concinnandi.

Ill. Laurer: de arte rite fascias alligandi.

Ill. Grohe: de parasitis hominum.

Exp. Hertz: de inquirendis corporis humani secretis.

Exp. Haeckermann: de medicina forensi, de politia medica.

Exercitationibus practicis me instituerunt: Ill. Henle in arte cadavera rite secandi; Cel. Boedeker chemcicis; Ill. Bardeleben operationibus chirurgicis; Ill. Ziemssen cursu auscultationis et percussionis; Ill. Grohe cursu pathologico-anatomico practico; Exp. Schirmer cursu ophthalmologico. Scholis interfui clinicis medicis: Ill. Rühle; chirurgicis et ophthalmologicis: Ill. Langenbeck, cujus ammanuensem per semestre me fuisse gaudeo, Ill. Bardeleben; gynaecologicis Ill. Martin; obstetriciis Ill. Martin, Ill. Pernice.

Quibus omnibus Illustrissimis, Celeberrimis, Experientissimis viris, optime de me meritis, gratias ago quam maximas.

---

# THESES.

**I.**

*Symphysiotomia est prorsus rejicienda.*

**II.**

*Optimum in diabete mellito remedium est opium.*

**III.**

*Resectio maxillae superioris osteoplastica unicum polyporum in fossa sphenomaxillari sitorum remedium est.*